

CORPUS THOMISTICUM
Ludovici de Valle Oleti
Tabula beati Thome de Aquino
de libris quos composuit



Textum ab E. Martène et U. Durand Parisius 1724 typis expressum
denuoque a H. Ch. Scheeben 1931 partim editum
recognovit Enrique Alarcón et instruxit

Editiones:

- E. MARTÈNE; U. DURAND (eds.), **Veterum scriptorum et monumentorum historicorum, dogmaticorum, moralium, amplissima collectio** (Montalant, Parisiis, 1724) col. 552-566, spec. 555-564.
 - H. C. SCHEEBEN, **Die *Tabulae* Ludwigs von Valladolid im Chor der Predigerbrüder von St. Jakob in Paris**. «Archivum Fratrum Praedicatorum» 1 (1931) 223-263, spec. 224-226 [fragmenta].
-



Pars 2

Sequitur numerus omnium librorum quos beatus Thomas composuit et dictavit de diversis scientiis, divinis scilicet et humanis

Donum autem scientie et intelligentie collatum divinitus Thome evidentius declaratur in multiplici opere scripturarum, qui ut scribe doctissimus de thesauro cordis sui protulit nova et vetera, de novo scilicet et veteri testamento, et abscondita produxit in lucem diversarum scripturarum. Numerus autem et nomina librorum quos ad Dei laudem et fidei dilatationem, eruditionemque studentium ipse conscripsit in sequentibus conscribuntur.

Scrpsit enim super quatuor libros sententiarum quatuor volumina, opus siquidem stilo disertum, intellectu profundum, intelligentia clarum, et novis articulis dilatatum.

[1] Primum incipit: *Ego sapientie effudi flumina.*

[2] Secundum incipit: *Spiritus eius ornavit celos.*

[3] Tertium incipit: *Ad locum unde exeunt flumina revertentur.*

[4] Quartum incipit: *Misit verbum suum et sanavit eos.*

[5] Cumque post tres annos sui magisterii rediisset in Italiam, existens Rome scripsit iterum super primum sententiarum, sicut testatur in cronica sua frater Bartholomeus episcopus Corsulanus, qui diutius auditor eius fuit, asserens se vidisse in conventu Lucano, quod nunc non invenitur, quia clam sublatum fuisse creditur, et ideo non fuit multiplicatum.

De Summa theologie

Scriptis etiam admirabilem Summam totius theologie, quam pluribus materiis, et articulis ampliavit, et aliter quam in scriptis suis secundum exigentiam materie prioribus miro ac convenienti ordine per questiones et articulos distinxit, subtilioribus rationibus ipsos determinans et declarans, quos sanctorum doctorum auctoritatibus roboravit, et philosophorum dictis ornavit, fundavit, et communivit. In quo opere cunctis theologiam ad plenum scire desiderantibus sic utiliter laboravit, quod viam sciendi et comprehendendi facilem, modumque compendiosum prius ignotum adinvenit et tradidit, non absque infusione doni gratie specialis. Summam autem predictam in tres partes distinxit, scilicet in naturalem, moralem et sacramentalem. In prima agit et definit de naturis rerum; primo de divinis, secundo autem de rebus creatis, et intitulatur Prima pars Summe. Secundam autem partem moralem divisit in duo volumina, in quorum primo agit et diffinit de virtutibus et vitiis et aliis ad moralem materiam pertinentibus in communi, et intitulatur Prima secunde. In secundo vero volumine descendit ad materias virtutum et vitiorum, et diversorum hominum statum, et intitulatur Secunda Secunde respectu eiusdem materie. Tertia autem pars Summe est quartum volumen eiusdem, que ideo Sacramentalis vocatur, quia in ea agitur de sacramentis Christi et ecclesie, et de toto mysterio Incarnationis Filii Dei, et intitulatur Ultima pars Summe, quia finis est aliarum, et ultimo facta fuit. Quam cum scriberet in conventu Neapolitano, et in capella S. Nicolai eiusdem conventus oraret, frater Dominicus sacrista vidit ipsum in oratione positum quasi duobus a terra cubitis in aere elevatum. Super quo frater ille diu admirans, subito audivit ab imagine crucifixi, ad quam conversus dictus frater orabat, prolatam clarius istam vocem: *Bene scripsisti de me, Thoma, quam ergo recipies pro tuo labore mercedem*. Scripserat enim de Christi Incarnatione, Nativitate, Passione, Resurrectione et Ascensione. Et respondit Thomas: *Non alia mercedem accipiam nisi teipsum*. Et quia a Domino facta est de mercede questio, dabatur intelligi de propinquo labore suo fore terminum imponendum. Nam revera postea pauca scripsit, et scribendi et vite sue cito finem fecit. Ideo preventus morte dictam tertiam partem incompletam

reliquit. Unde certa vera et fide digna doctoris huius approbata doctrina, que divina revelatione suscipitur, et veritatis verbo approbatur.

[6] Prima pars Summe incipit: *Quia catholice veritatis doctor.*

[7] Prima Secunde incipit: *Quia sicut dicit Damascenus.*

[8] Secunda Secunde incipit: *Post communem considerationem.*

[9] Ultima pars incipit: *Quia Salvator noster.*

De Summa contra gentiles

Scripsit etiam Summam que intitulatur Contra gentiles, in qua sic hereticorum errores scripturarum sua falce acutissima exstirpavit, sic contra paganorum et gentilium stultitiam arcu et gladio doctrine sue prevaluit, quod de tali conflictu sibi hactenus nullus fuit similis. Gessit enim typum luciferi splendens in cetu nubium plus quam doctores ceteri, purgans dogma gentilium. Est autem opus illud stilo disertissimo et rationum novitate et subtilitate profundissimo. In quo precipue opere cum ipsum scriberet, frequenter detentus est, a sensibus exterioribus sic abstractus, ut videretur totaliter divinis intentus. Unde invitatus Parisius a beatissimo rege Francorum Ludovico, recedensque de studio suo, cum imaginatione quam contra heresim Manichei preconceperat, quam tunc temporis impugnabat, sedensque in mensa regis iuxta eum, subito virtute sibi divinitus inspirata, super mensa manu percutiens dixit: *Modo conclusum est contra heresim Manichei*, vocansque socium suum ex nomine ait: *Surge et scribe*, quasi esset in studio celle sue. Prior autem istius conventus, qui ipsum sociaverat, tangens eum manu, dixit: *Animadvertatis, magister, quia nunc estis in regis Francie mensa, et non in cella*; qui ad se rediens, et advertens ubi erat, inclinans se ad regem humiliter ait: *Parcatis mihi, domine mi rex, quia credebam me esse in studio, ubi contra Manichei heresim inceperat cogitare*. De quo sanctus rex fuit plurimum admiratus et edificatus, quod in homine fieret tantus per Spiritum raptus mentis, quem non impediret in aliquo sensus carnis. Tunc sanctus rex, vocato scriptore, mandavit ei quod

statim scriberet que doctori sancto fuerant divinitus revelata. Istam autem Summam in quatuor libros distinxit qui incipiunt:

[10] Primus liber, *Veritatem meditabitur*.

[11] Secundus, *Meditatus sum in omnibus operibus tuis*.

[12] Tertius, *Deus magnus Dominus*.

[13] Quartus, *Ecce hec ex parte dicta sunt*.

Scripsit etiam idem doctor non parva volumina questionum theologicarum de diversis materiis, per diversos articulos distinguens et prosequens et elucidans veritatem, quas in septem partes distinxit, et vocantur Questiones disputate, scilicet:

[14] Questiones de potentia Dei.

[15] Questiones de unione Verbi Incarnati.

[16] Questiones de veritate.

[17] Questiones de malo.

[18] Questiones de spiritualibus creaturis.

[19] Questiones de anima.

[20] Questiones de virtutibus.

[21] Item scripsit XI quodlibeta.

De sacramento Corporis Christi

[22] Item, ad mandatum Domini Urbani pape dictavit et ordinavit totum officium ecclesiasticum de festo et octavis Corporis Christi.

[23] Item, scripsit librum de sacramento Eucharistie, et dimensionibus et accidentibus sine subiecto existentibus, ad rogatum magistrorum Parisiensium. Cum autem de Corpore Christi scripsit que sibi divinus Spiritus revelavit, in ecclesia istius conventus, cum quaterno ad altare oraturus accessit, et super altare coram Christo, tamquam summo magistro, quaterno ipso appposito, flexis genibus oravit: mira res! mox ibidem Christus visibiliter apparens, a socio sancti doctoris et aliquibus aliis fratribus ipsum devotionis gratia observantibus, super quaternum stans in altari conspicitur, taliter alloquens sanctum suum: *Bene de hoc Corporis mei sacramento scripsisti, Thoma, et determinasti, sicut ab homine in mortali vita degente potest intelligi, et humanitus definiri.* Quo diutius in oratione persistente, visus est doctor predictus, quasi per unum cubitum a terra in aere elevatus. Ad quod prodigium intuendum prior conventus et alii plures fratres convocati venientes, corporalibus oculis aspexerunt.

De libris Biblie

Scripsit etiam ad mandatum Urbani pape super quatuor evangelia opus insigne, miro contextum ordine ex dictis et auctoritatibus sanctorum, in quibus sic uniuscuiusque evangelistarum quatuor est continuata historia, quasi unius doctoris videatur esse lectura.

[24] Opus super Mattheum incipit sic: *Sanctissimo et reverendissimo domino.*

[25] Super Marcum: *Reverendo in Christo patri domino Ambaldo.*

[26] Super Lucam: *Inter cetera Incarnationis mysteria.*

[27] Super Iohannem: *Diem visionis subtilitate illustratus.*

[28] Item scripsit Postillam super Iohannem. Incipit: *Vidi Dominum sedentem*, et hoc per modum lecture.

[29] Item scripsit Postillam super Mattheum eodem modo.

[30] Item expositionem super evangelia totius anni.

Item scripsit [31] super epistulas Pauli ad Romanos, [32] ad Corinthios, [33] ad Galatas, [34] ad Ephesios, [35] ad Philippenses, [36] ad Colossenses, [37] ad Thessalonicenses, [38] ad Timotheum, [39] ad Titum, [40] ad Philemonem, [41] ad Hebreos. Super quas epistolas cum Parisius scriberet, et quippiam sibi obscurius occurrebat, emissis scriptoribus, in oratione se prosternebat, et tunc clarum illi erat quod obscurum antea fuerat. Frater Paulus de Aquila vidit S. Thomam in scriptis legentem et Paulum apostolum ad eum venientem, et scholas eius intrantem: cui cum S. Thomas de cathedra descendens ei vellet occurrere, Paulus mandavit, quod legeret et prosegueretur quam inceperat lectionem. Quem S. Thomas rogavit, ut ei diceret, an in epistolis suis verum habuisset intellectum. Cui Paulus respondit: *Plenum habuisti de illis intellectum, sicut potest quis vivens in corpore habere.*

[42] Item incepit scribere super Psalterium, et scripsit super tres primos nocturnos, et preventus morte opus remansit incompletum. Incipit: *In omni opere suo dedit confessionem sancto.*

[43] Item scripsit super Isaiam prophetam, et cum scriberet prophetie eius mysteria exponendo, pervenit ad quemdam libri textum sibi difficilem: quem cum non posset intelligere, nec profunditatem sensus scripture prophetice penetrare, orationi se contulit, et sanctis apostolis Petro et Paulo recommendavit: qui eidem visibiliter apparentes, de textu dubio plenissime instruxerunt. O vere felix doctor! cui divine scripture celi clavicularius aperuit ostium, et ascensor celi Paulus doctor ille mirabilis docuit in veritate secretum. O felix doctor! hospes mundi et civis celi, qui cum celestibus civibus loquitur, dum adhuc in corpore peregrinatur.

[44] Item scripsit super Ieremiam.

[45] Item scripsit super librum Threnorum.

[46] Item super Cantica Canticorum.

De expositione aliquorum scriptorum

[47] Item, super librum Dionysii de Celesti Hierarchia.

[48] Item, de Ecclesiastica Hierarchia.

[49] Item, de Divinis nominibus.

[50] Item, de Mystica theologia.

[51] Item, super omnes epistolas eiusdem.

[52] Item, scripsit super librum Boetii de Hebdomadibus. Incipit: *Precurrit prior in domum tuam.*

[53] Item, scripsit super librum Boetii de veritate, et incipit: *Ab initio nativitatis mee investigabo.* Cumque librum istum exponeret, candelam accensam in manu tenens, sic in contemplatione est abstractus, quod candela ardens consumpta est usque ad digitos manus eius, quibus ignem candeles diutius inherentem non sensit. Sed ipsum sine aliquo motu digitorum sustinuit, donec defecit. Inhibuerat enim scriptori suo, ut ipsum nullatenus vocaret quicquid in ipso videretur. Simile de ipso Parisius sepius visum est. Erat enim mirabile videre hominem sensibus utentem, et cum sensibilibus conversantem, subito rapi, et mente abstrahi, et quasi ab hominibus separari et ad celestia elevari, quasi non esset ubi corporaliter sisteret, sed ubi mentaliter inhereret.

De aliquibus aliis expositionibus

[54] Item, scripsit super Salutationem Angelicam, scilicet Ave Maria. Incipit: *In ista salutatione tria continentur.*

[55] Item, scripsit Expositionem orationis Dominice, scilicet Pater noster.

Incipit: *Inter alias oraciones Dominica oratio principaliter invenitur.*

[56] Item, scripsit super primam decretalem de Summa Trinitate, *Firmiter tenemus*. Incipit: *Salvator noster*.

[57] Item, scripsit super decretalem *Damnamus et reprobamus*. Incipit: *Exposita forma catholice fidei*.

De aliquibus aliis libris

[58] Item, scripsit librum qui intitulatur Compendium theologie ad fratrem Reginaldum, qui incipit: *Aeterni Patris Filius*. Et quia morte preventus est, opus remansit incompletum.

[59] Item, librum de perfectione religionis Christiane. Incipit: *Christiane religionis propositum*.

[60] Item, librum de perfectione vite spiritualis. Incipit: *Quoniam quidam perfectionis ignari*.

[61] Item, librum de preceptis et necessitate legis amoris. Incipit: *Tria sunt necessaria*.

[62] Item, librum contra impugnantes religiosos. Incipit: *Ecce inimici tui sonuerunt*.

[63] Item, librum contra errores Grecorum ad Urbanum papam. Incipit: *Libellum ab excellencia vestra michi exhibitum*.

[64] Item, de articulis fidei et ecclesie sacramentis ad archiepiscopum Parnomitanum. Incipit: *Postulavit a me vestra dilectio, ut de articulis fidei et ecclesie sacramentis*.

[65] Item, librum de articulis fidei contra Grecos, Armenos et Sarracenos, ad Cantorem Antiochenum. Incipit: *Beatus Petrus apostolus*.

[66] Item, librum de forma absolutionis sacramentalis ad magistrum ordinis Predicatorum. Incipit: *Perlecto libello*.

[67] Item, librum quadraginta trium questionum ad lectorem Venetum. Incipit: *Lectis litteris vestris inveni*.

[68] Item, librum ubi continetur responsio ad multos articulos, ad fratrem Gerardum lectorum Bisuntinum. Incipit: *Carissimo sibi in Christo*.

[69] Item, librum de substantiis separatis, scilicet angelis, ad fratrem Raynaldum. Incipit: *Quia sacris angelorum sollempniis*.

[70] Item, librum de regimine principum ad regem Cypri. Incipit: *Cogitanti mihi quid offerre regie celsitudini dignum*.

[71] Item, librum de regimine Iudeorum ad ducissam Brabantie. Incipit: *Excellencie vestre recepi litteras*.

[72] Item, librum de origine et perpetuitate mundi. Incipit: *Supposito secundum fidem*.

[73] Item, librum de Sortibus, ubi scilicet illis utendum, ad dominum Iacobum de Burgo. Incipit: *Postulavit a me vestra dilectio*.

Et cum ab eodem divino intellectu omnium scientiarum secreta prodeant, a quo divine sapientie veritates emanant, cui omnes scientie iure subserviunt, ut ancille, sanctus doctor scripsit multa de scientiis philosophicis et habemus videlicet

De Logica, Philosophia et Metaphysica

[74] Super librum Perihermenias.

[75] Item, super librum Posteriorum.

[76] Item, super octo libros Physicorum.

[77] Item, super tres libros de celo et mundo, quia morte preventus non scripsit super quartum.

[78] Item, super duos libros de generatione et corruptione.

[79] Item, super duos libros meteorum solum, quia morte preventus non scripsit super tertium et quartum.

[80] Item, super tres libros de anima.

[81] Item, super librum de sensu et sensato.

[82] Item, super librum de memoria et reminiscentia.

[83] Item, super librum de somno et vigilia.

[84] Item, super librum de morte et vita, et super alia parva naturalia.

[85] Item, super XII libros Mathematicae.

[86] Item, super librum causarum.

[87] Item, super libros quatuor Ethicorum.

[88] Item, super libros Politicorum quatuor, quia preventus est morte et alios non complevit.

In exponendo autem litteraliter Aristotelem non habuit equalem, unde a philosophis Expositor per excellentiam nominatur.

[89] Item, scripsit librum de quatuor oppositis, qui incipit: *Quatuor sunt oppositiones*.

[90] Item, librum de modalibus propositionibus, incipitque: *Propositio*

modalis.

[91] Item, de fallaciis ad quosdam artistas, incipitque: *Logica est rationalis scientia.*

[92] Item, de demonstratione. Incipit: *Ad habendam cognitionem.*

[93] Item, librum de principiis nature ad fratrem Silvestrum. Incipit: *Quia aliud potest esse, nec sit.*

[94] Item, librum de natura materie. Incipit: *Quoniam de principiis sermo habitus est.*

[95] Item, librum de natura instantis. Incipit: *Quoniam omnem durationem comitatur instans.*

[96] Item, librum de fato. Incipit: *Queritur de fato quid sit.*

[97] Item, librum de actionibus et operationibus occultis nature ad quemdam militem. Incipit: *Quoniam in quibusdam naturalibus.*

[98] Item, librum de motu cordis ad magistrum Philippum de Castisceli. Incipit: *Quoniam omne quod movetur.*

[99] Item, librum de Verbo. Incipit: *Ad intellectum huius nominis quod dicitur Verbum.*

[100] Item, librum de natura verbi Intellectus. Incipit: *Quoniam circa naturam intellectus.*

[101] Item, librum contra Averroistas, de unitate intellectus. Incipit: *Omnes homines naturaliter scire desiderant.*

[102] Item, de mixtione elementorum in mixto ad magistrum Philippum. Incipit: *Dubium apud multos esse solet.*

[103] Item, librum de Iudiciis astrorum ad fratrem Raynaldum. Incipit: *Quia petisti ut tibi scriberem.*

[104] Item, librum de principio individuationis. Incipit: *Quoniam que sunt potentie cognoscitive in homine.*

[105] Item, librum de quidditate entium, sicut de ente et essentia. Incipit: *Quoniam parvus error in principio.*

Aliqua alia opera appropriantur sancto doctori, que ipse non fecit, sed aliqui doctores sui sequaces ex eius dictis, et ideo beati Thome opera nominantur.

Fuit autem beatus thomas XIIus, qui in ordine Predicatorum legit sententias Parisius.

Pars 3

Sequuntur speciales orationes nimis devote a beato Thoma composite et dictate, quas certis temporibus deo offerebat

[106] Quandocumque celebrabat, antequam indueretur, orabat: *Omnipotens et misericors deus, ecce accedo ad Sacramentum Filii tui Domini nostri Iesu Christi, accedo, inquam, infirmus ad medicum vite, immundus ad fontem misericordie, cecus ad lumen claritatis eterne, egenus ad Dominum celi et terre, nudus ad regem glorie. Rogo ergo immense largitatis tue abundantiam, quatenus meam digneris sanare infirmitatem, lavare feditatem, ut panem Angelorum, Regem regum, et Dominum dominantium, tanta reverentia et tremore, tanta suscipiam contritione et amore, tanta fide et puritate, tali proposito et humilitate, sicut expedit saluti anime mee. Da mihi, queso, illius Dominici corporis non solum suscipere Sacramentum, sed etiam virtutem Sacramenti. O mitissime Deus, da mihi suscipere corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Iesu Christi quod traxit de virgine Maria, ut merear corpori suo mystico incorporari, ac inter eius membra salubriter numerari. O pater amantissime, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum aspicio, suscipere in via, revelata tandem facie in patria*

contemplari, qui tecum vivit et regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

[107] Ante communionem, cum corpus Christi dum celebrabat tenebat in manibus, sic orabat: *Adoro te digne latens Deitas, que sub his figuris vere latitas, etc.*

Quando audiebat missam, in elevatione corporis Christi orabat: *Tu Rex glorie Christe, tu Patris sempiternus es Filius, et cetera usque in finem.*

[108] In secreta contemplatione flexis genibus sic orabat: *Concede mihi, misericors deus, que tibi sunt placita ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, et perfecte implere ad gloriam et laudem nominis tui. Ordina statum meum, et quod a me requiris ut faciam, tribue ut sciam, et da exequi ut oportet et expedit salutis anime mee. Via mihi ad te tuta sit, recta, grata, et confirmata, non deficiens inter prospera et adversa: ut et in prosperis tibi gratiam referam, et in adversis servem patientiam, ut in illis non extollar, et in istis non deprimar; de nullo gaudeam aut doleam, nisi quod promoveat ad te, vel abducat a te. Nulli placere appetam, nec displicere timeam, nisi tibi. Vilescent mihi omnia transitoria propter te, Domine; et cara mihi sint omnia tua, et tu Domine, plusquam omnia. Tedeat gaudii quod est sine te, nec cupiam aliquid quod sit extra te. Delectet me labor qui est pro te, tediosa sit mihi omnis quies que non est in te. Frequenter da cor meum ad te dirigere, et in defectione mea cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Domine Deus meus, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine deiectione, maturum sine gravitate, agilem sine levitate, veracem sine duplicitate, te timentem sine desperatione, in te sperantem sine presumptione, proximum corrigere sine simulatione, ipsum edificare verbo et exemplo sine elevatione, obedientem sine contradictione, patientem sine murmuratione. Da mihi, dulcissime Deus, cor pervigil, quod nulla a te abducat curiosa cogitatio. Da nobile, quod nulla trahat deorsum indigna affectio. Da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio. Da firmum, quod nulla frangat tribulatio. Da liberum, quod nulla sibi vindicet violenta affectio. Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum te*

cognoscentem, diligentiam te querentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam fidenter te expectantem, et fiduciam te finaliter amplectentem; tuis penis hic affigi per penitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, tuis gaudiis inprimis in patria perfrui per gloriam, qui vivis et regnas Deus per omnia secula seculorum. Amen.

[109] *Antequam predicaret, studeret, legeret vel dictaret, sic orabat: Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientie tue novem angelorum hierarchias advocasti, et eas super celum empyreum miro ordine collocasti, atque elegantissime partes universi disposuisti. Tu, inquam, qui verus fons lucis et sapientie diceris, atque supereminens principium, infundere digneris super intellectus mei tenebras tue radium claritatis, duplicem in qua natus sum removens privationem et tenebram, peccatum scilicet et ignorantiam. Qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias, atque in labiis gratiam tue benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, abiiciendi facilitatem, loquendi gratiam copiosam; ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus laudabilis et gloriosus, et benedictus in infinita secula seculorum. Amen.*

Contra chuscationes, tempestates et tronstrua sic dicebat. In terroribus autem eris et tronstrui et tempestatis, quasi pro scuto se muniens signo crucis, dicebat: *Deus in carne venit, Deus pro nobis mortuus est et resurrexit.*

[110] *Sententia cuiusdam litere, quam misit cuidam fratri petenti ab eo, quid faceret, ut in studio proficeret. Quia petivisti a me ... hec si feceris, habere poteris que requiris.*

(...)

Que in hac tabula scripta sunt, reportavit, compilavit et scribi fecit frater Ludovicus de Valle oleti, regni Castelle, provincie Hispanie ordinis Predicatorum, ad laudem eiusdem ordinis, honorem istius conventus Parisiensis et preconium beati Thome de Aquino necnon ad excitationem et edificationem omnium prescripta legentium anno domini M CCCC XIII, quo idem frater Ludovicus legit sententias in isto conventu, super quibus omnibus sit deus in secula seculorum benedictus. Amen.



© 2006 Fundación Tomás de Aquino quoad hanc editionem
lura omnia asservantur